

1554

D E O D U C E!  
M E D I T A T I O S, E P I S T O L Æ  
D O M I N I C Æ X X V.

POST TRINITATIS  
Additis S. Patrum dictis, Quæstio-  
numq; aliquot decisione, ad uberio-  
rem textûs cum o-  
pus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M  
*In Regia Aboënsi Academia,*

P R Æ S I D E

DN. Æ S C H I L L O P E T R Æ O, S. S.  
Theolog. Doct: & Episcopo Aboënsi,

*Examine subijcit loco & horis solitis*

*Ad diem 14. Mart. Anni 1657.*

O L A U S A S S V E R I *Glodh!*  
*West-Gothus*

Augustinus

*Contristamur in nostrorum morte necessitate amittendi: Sed cum spe  
recipiendi. Inde angimur: hinc consolamur. Inde infirmitas affi-  
cit: hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio: hinc s nat  
divina promissio.*

Ambrosius.

*In adventu Domini qui viui fuerint inventi; obviam rapientur Do-  
mino in aëre, mortem quasi soporem passi.*

A B O Æ

---

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

*Generoso, Nobilissimo & Fortissimo Domino*

DN. MICHAELI GronoStierna / Hære-  
ditario in Biorkeström & Åsalaby &c ut ante hac Tribuno mi-  
litum perstreuo; ita & nunc arcis Aboënsis Gubernatori  
circumspectissimo, Meccenati suo magno & tatem  
submitte colendo.

UT ET

*Nobilissimo Consultissimo atq; Spectatissimo VIRO*  
DN. MATTHIÆ Silljeholm/ de Kärköla / superio-  
ris Satacundiaë judici primario æquissimo, Fautori suo ut  
propensissimo, ita semper observando.

NEC NON

*Conspicuis, prudentis. variarumq; rerum experientiâ  
probatissimis VIRIS*

DN. JACOBO NICOLAI, Militari Logi-  
stæ per legionem ordinis pedestris circumspecto, Fauto-  
ri & Evergetæ suo certissimo.

DN. PETRO Sman Generosiss. Dñi GUSTAVI Horna/ de  
Kancas &c Rationario accuratissimo, conterraneo & pro-  
motori suo indubitatissimo.

DN. ZACHARIÆ MARTINI MELPLANDRO Illust: com-  
itis JOHANNIS Oxenstierna Redituum Exactori perindu-  
strio; Nec non Arendatori in Sundholmen prudentis. pa-  
triotæ & Fautori debito honore afficiendo.

DN. PETRO HAQUINI Salthen/ Illust comitis ARVIDI  
Wittenbergz Tributorum Exactori fidelissimo itidem Fau-  
tori & promotori suo benignissimo.

*Exercitium hocce Theologicum in grati animi  
Symbolum per officiosè consecro & offero*

OLAUS A. Slodh.



MEDITATIO S. EPISTOLÆ  
DOMINICÆ XXV. POST TRI-  
NITATIS.

In Sanctæ & summæ laudandæ Trinitatis Patris Filii, & Spiritus  
Sancti nomine.

**D**EUS meus eripe me de manu peccato-  
ris, & de manu iniqui & tyranni. Quo-  
niam tu es expectatio mea Domine, Do-  
mine, spes mea à juventute mea, Tibi  
inixus sum ex utero: de ventre matris meæ, tu es e-  
ductor meus. In te cantatio mea semper: tanquam  
prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.  
Repleatur os meum laude tua, ut cantem gloriam tu-  
am tota die majestatem tuam. Ne projicias me in tem-  
pore senectutis: cum deficiet virtus mea, ne derelin-  
quas me. Psal. 71. v. 5. 6. 7. 8. 9. Quibus verbis  
Psalmista laudat Deum, quod sit ejus refugium & spes  
à juventute. Quòd in Deum speravit, nunquam frustra-  
tus sit sua spe. Quod manifestum ei fuerit Dei auxilii  
um ab utero matris suæ, quòd in Domino gloriari potu-  
erit ac dicere ex Psal. 23. Dominus Pastor meus nihil  
mibi deerit. Et ex Psal. 31. in te Domine speravi non  
confundar in aeternum. Conqueritur etiam Psalmi-  
sta, quod sit factus multis miraculum, quod ei tam du-  
ra accidant, quasi nullus esset ejus defensor & salvator, in-  
terim se sustentaverit hac spe, ac fide, quod Deus data-

rus tandem solatium. Optat v. ut possit Deo dignas gratias agere pro præsentis auxilio, & nunquam de illo in posterum dubitare, præsertim quando infirmatur & senescit, præsertim verò quando vergit ad vitæ finem & horam mortis. Orat itaq; pro felici ex hac vita exitu, v. ut dormiat in requie, dimittatur in pace, non dubitans de corporis sui resurrectione in extremo die, quâ corpus & anima in die mortis disjuncta, vislicim congregentur, & ita unâ ac pariter cœlesti inenarrabili perfunduntur & fruuntur gaudio, De hoc etiam agitur in textu jam explicando.

**O** Remus Deum ut hanc Epistolam ita meditari queamus ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ & bonorum operum, in spem & fiduciam & tandem in aeternam beatitudinem, Dicamus igitur: Pater noster &c.

**TEXTUS** 1. Thes. 4. v. 13. usq; ad finem cap.

**C**æterum nolo vos ignorare fratres, de ijs qui obdormierunt, ne doleatis quemadmodum & ceteri non habentes spem, Nam si credimus quod Jesus mortuus est & resurrexit: sic & Deus eos qui obdormierunt per Jesum Christum adducet cum illo. Hoc n. vobis dicimus in verbo Domini, quod nos qui vivemus & reliqui erimus in adventum Domini, nequaquam præveniemus eos qui dormiunt. Quoniam ipse Dominus cum hortatu & voce archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo & mortui in Christo resurgent primum. Deinde nos qui vivemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus, in occursum Domini in æ-

*re: Et sic semper cum Domino erimus. Proinde con-  
solemini vos mutuo sermonibus.*

**R**Efert Apostolus se aliquid habere, quod  
celare eos nequaquam queat, de mortuis, ne Thes-  
salonicenses doleant sicut alij qui spem non habent mor-  
tuos resurrecturos; cum Christianis verò dicit rem aliter  
habere, non nulli credunt quod Jesus mortuus sit & re-  
surrexit ex mortuis: ita etiam credunt quod Deus mor-  
tuos adducturus sit cum Deo. Hanc suam doctrinam  
de mortuorum resurrectione, vult Apostolus arctè tene-  
ri ab eis, non ut humanam traditionem sed ut verbum  
Dei. Deinceps docet ordinem resurrectionis mortuo-  
rum; Nos, inquit, qui vivimus & reliqui facti sumus, in  
adventu Domini, non præveniemus eos qui dormiunt,  
ipse Deus inquit, descendet de cælo cum clamore, voce  
archangeli & tuba Dei, & tunc mortui in Christo pri-  
mò resurgent; postea v. nos qui vivimus & reliqui facti su-  
mus, unà cum illis rapiemur in nube in occursum Do-  
mini in aëre. Et sic futuri sumus cum Domino sem-  
per. His verbis jubet eos se invicem consolari. Con-  
firmatur fides nostra, de extremo judicio & de adventu  
Christi ad hoc judicium. Articulus etiam de vita æter-  
na & mortuorum resurrectione. Excitatur ad orandum  
libera nos à malo.

## P A R T E S.

1. De prohibitione luctus & doloris in morte amico-  
rum & propinquorum.
2. De ordine resurgentium & tunc vigentium, qui  
rapiuntur in occursum Domini, cum eo perpe-  
tuo mansuri.

Atq; hæ sunt istæ partes quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & æternus Deus, pater noster cælestis dilectissimus nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuosè cedere faciat.*

## PRIMA PARS

In qua meditamur:

### I. Intentionem Apostoli in

prohibitione luctus & doloris in morte amicorum & propinquorum. Hanc indicat Apostolus dicens: Nolo vos ignorare fratres, de illis qui mortui sunt: h. e. si quidem mihi concreditum hoc officium, ut revelem vobis omne consilium Dei, de omnibus necessarijs scitu, & ad vestram salutem ac consolationem pertinentibus, & maximo speræ vestri referat, rectè informatos esse, de conditione discedentiũ ex hac vita, quod illa bona sit & nequaquam mala & quod nequaquam pereant vel intereant, quamvis corpora redeant in pulverẽ, unde sumpta sunt, juxta illud antiquum fœdus: morieris, Syr. 14. Tamen animæ manent immortales, & ab angelis recipiuntur in sinum Abrahamæ, ubi gaudio & solatio fruuntur. Luc. 16. Non itaq; lugendi mortui, ut in nihilum redacti, & nunquam reviviscentes. Hoc Apostolus suos auditores ignorare noluit ne immodico dolore torqueantur & quidem vano, sicut alij dolent, qui spem nullam habent resurrectionis corporum. Quales tempore Christi erant Saducei, non credentes resurrectionem, levi per moti argumento vel potius ignoratione quadam scripturarum & virtutis Dei. Quando putabant futuram infinitam controversiam & rixas, si mortui resurgerent, ex eo quod una mulier sæpè nubat pluribus maritis, in altera v. vita non ullum reposcens ut suum: sed Christus respondit vanam esse hanc hominis mentem, nam

nam in resurrectione, inquit, non ducunt uxores, nec nubunt, sed futuri ut angeli Dei.

L. C. Boni & sinceri doctores non occultent auditoribus suis ullum articulum fidei, unde possunt habere consolationem, unde possunt liberari à dolore & luctu supervacanea, exemplo est nobis Paulus, ut fidus dispensator mysteriorum Dei. Hoc etiam de se affirmat Apostolus, Act. 20. v. 26. ad 33. Auditores etiam avidè audiant, imò reponant sensibus illa, quæ eis tradentur statuta doctorum suorum, Ebr. 13. Obedite Præpositis vestris & imitemini fidem illorum. Et Apostolus se pro exemplo sistit suis auditoribus, Philip. 3. jubetq; cavere eos, qui tantum terrestria curant. v. 15, seq. ad finem capitis.

## II, Mortuorum appellatio-

nem, qua Apostolus utitur, informaturus Thessalonicenses de statu mortuorum. Vocat v. eos dormientes, qui moriuntur, & eos qui mortui sunt, dicit dormivisse. Nolo inquit, vos ignorare de ijs, qui obdormierunt. Qui in somnum incidit, sentit levamen doloris & morbi, reparat vires, & dum evigilat, alacrior esse deprehenditur; nec eitempus videtur longum quamdiu suaviter dormit quippe nihil audiens vel videns, à curis hujus mundi, quasi exemptus & liberatus; ita se res habet cum mortuis in Domino, verè dormiunt, nihil cum hujus mundi turbis & rixis habentes commune. Hæc v. est inter dormientes & mortuos differentia, quod morientibus & mortuis nulla molestia sit somnium sicut dormientibus, de quo Syrach cap. 40. v. 1. seq. ad 9, in quietudines & vexationes prædicant mortem & hunc somnum, sed illam comitatur requies & lætitia.

**L. C. 1.** Non horreamus mortem, cum somnum sit per quem reparamus vires, per quem alacres reddimur dum ab illo excitamur in altera vita, quoad corpus, anima est in perpetuo gaudio, tormentum mortis eam non tangit. Ita David se mortem haud timere dicit, siquidem dormiat & requiescat. Psal. 3. v. 5 6. Psal. 4. v. 9. & Psal. 23. v. 4. ad finem. Non malè nos habeat vel dolore afficiat, quod lectus noster sit angustus, domus nostra tenebrosa, quod cito hinc transeamus, quasi evolarem hinc, recordemur illius Apostolici 1. Cor. 15. v. 41. ad 50. Hinc Prudentius in hymno exequiali canit: Nam quod requiescere corpus, vacuum sine mente videmus, spatium breve restat, ut alti repetant collegia sensus. Venient citò secula, cum jam socius calor ossa revifat, animatq; sanguine vivo, habitacula pristina gestet. Quæ pigra cadavera pridem, tumulis putrefacta jacebant, volucres rapiuntur in auras, animas comitata priores, Corpora mortificata, redeunt melioribus annis, nec post obitum calefens compago fatiscere novit. Mors ipso beatior inde est, quod per cruciamina lethi, via panditur ardua justis, & ad astra doloribus itur.

**L. C. 2.** Misera est conditio illorum, qui non habent spem resurrectionis mortuorum. Illi v. qui verbum Dei non habent, talem spem habere non possunt. Cum leguntur alij libri, Ethnicorum v. de aliqua immortalitate animarum, quamdiu leguntur, non nullus est assensus & spes, sed dum liber clauditur, omnis assensus elabitur, ut refert doctus & eloquens ille Ethnicus Cicero de selugente, se legisse librum alterius Ethnici de re illa, platonis sc. Nos verò habemus firmiorem sermonem, propheticum v. & quidem summi prophetæ Christi, ille n. dixit ego sum resurrectio & vita. Joh. 11. v. 25.



26. 27. Joh. 6. v. 44. 47. Christus disputans contra Sadducæorum errorem, de resurrectione mortuorum non futura, dicit eos ita errare ex ignorantia Scripturæ & virtutis Dei. Quo Christus indicat, homines non posse credere resurrectionem mortuorum, nisi habeant verbum Dei, unde fidem hauriant mortuos resurrecturos. Quare merito agamus Deo gratias pro luce verbi sui, quâ omnes tenebras & dubitationem de salute nostra & beatitudine æterna depellere possumus. utinam hanc lucem amemus & in hac ambulemus, donec ad cœlestis patriæ lucem perducamur.

**III. Mortuorum resurrectionis causam.** Christus inquit, est mortuus, & resurrexit. Per hunc per hujus resurrectionis efficaciam & virtutem, Deus eos qui dormierunt, adducet & resuscitabit ex pulvere terræ. Itaq; fundat Apostolus resurrectionem mortuorum, super resurrectionem Christi ex mortuis, ut sicut ille qui caput est corporis sui resurrexit, sic etiam membra ejus resurgent. Quod etiam sufficit docet Apostolus 1. Cor. 15. ubi Apostolus primò simpliciter dicit Christum mortuum pro peccatis nostris juxta scripturas, quod sepultus sit quod excitatus sit tertia die juxta scripturas. Quod visus sit diversis hominibus alio atq; alio tempore, quod in postremò visus sit Paulo. Arguit Apostolus eos mendacij, qui negant mortuos resurrecturos, cum tamen Christus resurrexerit, quod nemo sanus negare potest vel debet, quamvis n. resurrectio mortuorum per naturam impossibilis sit, tamen per Dei potentiam facilis est. id quod visione quadam ostensum Ezechielii Prophetæ cap. 37. v. 1. seq. ad 11.

L. C. I. Omne seponendum homini Christiano dubium

bium de mortuorum resurrectione. Est n. articulus fidei: credo carnis resurrectionem. Qui articulus varijs modis ab Apostolo 1. Cor. 15. Confirmatur, ut in explicatio-  
ne textus vidimus. Hunc articulum etiam Job arctè te-  
nuit, quando Job. 19. sic dicitur verba facere v. 25. 26. 27.  
Esa. 26. v. 19. Esa. 66. v. 14. Ezechil. 37. v. 12. Dan. 12. v.  
2. Joh. 5. v. 28. Joh. 6. v. 49. Resurgent enim omnes  
homines, qui ab initio mundi usq; ad ejusdem finem  
unquam mortui sunt, boni & mali. Matth. 25. v. 32. Joh.  
5. v. 28. Magnum v. erit discrimen inter resurgentes, bo-  
ni ad vitam æternam, mali ad iudicium pergent, Joh. 5. v.  
28. Dan. 12. v. 2. Erit tunc retributio operum malorum  
& bonorum, implebitur illud Ecclesiast. 12. v. 9. 1. 2. 13. 14.

L. C. 2. Dicit Apostolus nos adducendos cum Chris-  
to, prodituros in lucem in conspectum Dei & angelo-  
rum; simus memores resurrectionis ex mortuis, habituri  
oculatifimum & iustissimum iudicem, coram cuius tri-  
bunali sistemur, ideò consultum est. ut in hoc mundo,  
in quo est regnum gratiæ, reconciliemur Deo, & certi  
reddimur de gratia Dei & remissione omnium peccato-  
rum. Non vult Deus mortem peccatoris, sed ut convers-  
tatur & vivat. Ezech. 18. Venite inquit Christus, ad me  
omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos,  
& invenietis requiem animabus vestris Matth. 11. Sic  
Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum da-  
ret, ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat  
vitam æternam. Beati qui in Domino moriuntur; Præ-  
tiosa mors sanctorum eius, in conspectu eius psal. 116.  
Cum nos commendamus animam nostram in manus  
Christi, ac dicimus: Domine suscipe animam meam;  
respondebit ipso opere: Hodie eris mecum in Para-  
diso. Simus etiam fortes & intrepidi in omnibus  
adver-

adversis, quia scimus nos resurrecturos ex mortuis, & in optimum & felicissimum statum, requiem & tranquillitatem transferendos. Sit nobis in memoria illud Tertulliani dictum de resurrectione mortuorum: Fides Christianorum resurrectio mortuorum. Etiam ex resurrectione mortuorum nobis sit hæc consolatio, quod corpora nostra futura sint in corruptibilia, ab omni corruptione libera, gloriosa quia in enerrabili decore & gloria exornabuntur, potentia, non opus habebunt hoc mundano cibo & potu, somno, & id genus alijs præsidij, sed longe excellentiori modo sustentabuntur. Erunt spiritualia, hoc est, unà cum anima longè excellentiori virtute prædita & exornata à Christo (qui nostræ resurrectionis author & perfectior est) quam antea fuerunt, 1. Cor. 15. v. 42, Dan. 12, v. 2.

L. C. 3. Terrentur impij resurrectione mortuorum, surgunt enim in opprobrium & ignominiam sempiternam, collocabuntur ad sinistram, relegabuntur in ignem æternum Diabolo & angelis ejus paratum. Matth. 25: Erunt eorum corpora in corruptibilia, verum nulla gloria, nulla exoptata potentia aut spirituali excellentia exornata, sed perpetua ignominia & foeditate damnata, quibus id ipsum quod incorruptibilitatem habent & nullam felicitatem, nunquam terminandis doloribus & cruciatibus cedunt.

## S E C U N D A P A R S

*Fuit prima pars in adstruenda doctrina de resurrectione mortuorum: altera pars sequitur, de ordine inter resurgentes & reliquos factos, qui eorum primi assumentur in æternam gloriam.*

In qua meditamur:

# I. Præfationem in hanc do-

ctrinam. Præfationem in hanc docteinam facit  
Apostolus hujusmodi : Hoc dicimus vobis u  
verbum Domini. Hoc est, hæc doctrina non est  
mea, accepi eam à Domino, sicut præfatur in do-  
ctrinam de Sacramento Altaris 1 Cor. ii. Ego, in-  
quit, accepi à Domino, quod & tradidi vobis. &c.

L. C. Doctrina de resurrectione mortuo-  
rum, non est in humano cerebro nata, sed à  
Deo revelata. Quare ei credendum, etiamsi  
rationi videatur contraria & absurda. Dubita-  
vit S. Thomas adeo de resurrectione Christi, à  
quo tamen audivit sæpius prædictionem suæ  
mortis & resurrectionis; vidit Christum mori-  
entem & credidit, sed Christum resurrectu-  
rum credere non potuit, nisi vidisset vestigia  
clavorum & lanceæ in corpore Christi, verum  
Christus ostendens ipsi corpus suum, & vesti-  
gia ex dispensatione ad tempus retinet, ad con-  
firmandum Thomam in fide de sua resurre-  
ctione; dixit ei Christus: quia vides credis, bea-  
ti qui credunt & non vident. Utinam non sint  
qui adhuc dubitant de resurrectione mortuo-  
rum; in Ecclesia judaica erant Saducæi dicen-  
tes non esse resurrectionem mortuorum futu-  
ram. Deus procul faciat esse à nobis ejusmodi  
deli-

deliramenta & pessimas opiniones; oremus:  
Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum  
tuum.

**II. Negationem Apostoli,**  
vz quod qui adhuc vivunt in extremo iudicio,  
non n. omnes, ut dicit Apostolus, moriemur an-  
te diem iudicij extremi, sed multi adhuc vivi  
erunt. Sicut tempore diluvij multi vixerunt,  
& tandem in diluvio extincti. Sodomitas &  
Gomorrhæos subito ignis & sulphur de coelo  
absumpsit. Paulus ita loquitur, quasi etiam vi-  
cturus esset ad illum diem, nos, inquit, qui vivi-  
mus & remanemus; docens hoc ipso, non quod  
ille crederet se tam diu victurum, scribit n. in-  
stare tempus mortis suæ Romæ, sed ita loquitur  
ut alij non sint securi, vel non dubitent de ex-  
tremo iudicio & resurrectione mortuorum. De  
viviis itaq; tempore resurrectionis mortuorum  
dicit, quod non prævenient eos, qui dudum fue-  
runt mortui; vivi deprehensi, non statim in  
æternam gloriam introducentur, sed prius illi  
qui antea fuerunt mortui in Domino, præcedit  
n. illorum qui tunc vivi remanent, aliqua mu-  
tatio, de qua scribit Apostolus 1. Cor. 15. v. 50.  
51. 52. 53. 54. 55. Caro & sanguis, inquit Apo-  
stolus, non possidebunt regnum Dei vz ut jam

sunt in hac vita, erit propterea quædam mutatio, qualis v. ea futura sit, non constat; sed hoc dicit Apostolus, quod in momento oculi futura. Rationem addit Apostolus hanc: ipse, inquit, Dominus in clangore & voce archangeli, in tuba Dei descendet de cælo, & mortui in Christo resurgent primum, Dominus noster Jesus Christus faciet hanc distinctionem & non alius. Voce archangeli venturus Dominus de cælo, hoc est, præcedet ejus adventum sonus aliquis, ministerio angeli factus, quo dicitur: Surgite vos mortui. Per tubam Dei indicatur horribilitas hujus vocis. Et ita resurgent primum, qui in Christo erant mortui.

L. C. Resurrectio mortuorum in Domino fiet cum magna Majestate & gloria, cum sono & voce, tuba terribili quidem omnibus impijs, qui dicturi sint; Vos montes cadite super nos, & colles operite nos ab ira Dei & agni. Cogitemus semper hanc vocem: Surgite & venite ad judicium. Hieronimus se hujus vocis nunquam potuisse oblivisci dicit.

III. Locum ad quem tendunt resurgentes, Locum exprimit Apostolus primo creatum & v. sibilem, rapiuntur in  
tur in

tur in nubibus, in aerem; Deinde in occur-  
sum Domini Salvatoris nostri Matth. 26. & e-  
rimus cum Domino semper, vzin domo patris  
Christi, in qua mansiones multæ. Joh. 14. ubi  
eorum gaudium plenum erit, ubi nemo rapiet  
gaudium illorum ab illis.

L. C. Gaudeamus exultemusq; in stat re-  
demptio nostra, in stat æstas svavissima nun-  
quam terminanda, feramus itaq; adversa quæ-  
que, erit optima mutatio, canamus trium-  
phum & victoriam. Apoc. 4. v. 8. seq, ad fi-  
nem. cap. 5. v. 9. 10. 11, ad finem.

PRECATIO

**C**lementissime Deus Pater celestis, vetus est pa-  
ter, pulvis es & in pulverem redibis, sicut  
minatus es primo nostro parenti. Moriendum nobis  
est, sed ut mors sit nobis lucro, confirma in nobis fi-  
dem, in Dominum nostrum IESUM Christum, qui ex  
mortuis resurrexit, qui & nostram resurrectionem o-  
peratur, ut ita tecum simus semper, atq; hinc contra  
mortalitatem consolationem hauriamus. Per & pro-  
pter eundem tuum filium Dominum nostrum IESUM  
Christum. Amen.

**B**enedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio &  
honor & virtus & fortitudo DEO nostro in secula seculo-  
rum Amen. Apocal. 7. 12.

QUE-

# Q U Æ S T I O N E S

## I.

*An Thesalonicenses spem resurrectionis non habuerint sicut ideo reprehendit Apostolus Corinthios? R.*

*Neg.*

Nam Corinthios Paulus severè castigat: hic a. tanquam de re non dubia loquitur. Fieri tn. potest, ut non satis infixæ eorum animis fuerit hæc persuasio. Atq; ideo in lugendis mortuis, aliquid ex veteri superstitione retinuerint. Consolatur a. Apostolus Thesalonicenses mœstos propter mortuos & propter falsas quorundam opiniones de mortuorum resurrectione.

## II.

*Quia Apostolus resurrectionem tribuit & vivis & mortuis, quomodo non mortui resurgent? R.*

Subita mutatio vivorum instar mortis erit 1. Cor. 7. v. 52. Mors quidem ordinaria, separatio est animæ à corpore; verum nihil obstat, quo minus aboleat Dominus momento corruptibilem hanc naturam, at novam virtute sua creet. Sic n. impletur, quod fieri Apostolus dicit, ut absorbeatur mortalitas

à vita 2. Cor: 5, v. 4+

